

555

Deo opt^{mo} IVbentē ac benignē CVrante!

VVIRTEMBERGIAE
LVTHERANÆ LÆTÆ CANDOR

In Christi atqVe In prophetarVM
Doctrinis aternis

anno M D C C V V V I I.

IVBILÆO ALTERO LVTHERANO
LÆTE DEMONSTRATVS:

repetita Defensione LocorVM pII & beatl
LVtheri nostrl.

PRÆSIDE

IOANNE VVOLFANGO IÆGERO,
LYCEO NOSTRO DOCTORE CELEBRI AC THEOLOGO PRINCIPE;

ResponsVro

Magistro Ioanne gothofredo haLLVVaChso.

etVblnga Die IVbllal prlMa
horls & LoCo noto.

huic dissertationi adjectum est in fine ipsum Univers. Programma.

IMpressit heIC VIDVa georg - henrIch - reisl.

ll. diss. A
3, 32

~~St~~

~~St~~ ~~St~~ ~~St~~ ~~St~~ ~~St~~





Q. D. B. V.

Lectoribus nostris Sal.

Multa sunt, eaque gravia admodum Evangelicæ Veritatis argumenta, quæ in sollemni hacce JUBILÆI NOSTRI LUTHERANI SECUNDI Panegyri, in Alumnorum verioris doctrinæ convictionem, proferre animus fuit. Quum vero nullum fere *Lutheranæ* sive *Evangelicæ* Theologiæ Caput, quod quidem momentum trahat, temere adsignari possit, quod non vel in *Systemate* nostro Thetico-Polemico, vel in *Historiæ Ecclesiasticæ voluminibus*, vel aliis nostris scriptis, quæ magno numero præ manibus vestris sunt, ex Codice divinorum eloquiorum fallere nescio, solide ac dilucide probatum, atque ab adversariorum *Pontificiorum* vellicationibus abunde satis vindicatum, dederimus; Ideo nihil nos, vel à *Persona nostra*, vel à *presentis temporis ratione* alienum facturos existumavimus, si ex iis *positionibus*, quibus exoptatissima initium *Reformationis*, ante ducentos

A 2

hosce

hosce annos *Witteberga* fecit *Megalander noster*, B. LUTHERUS, potiores deligeremus, atque pro Cathedra nostra, quæ summa DEI miseratoris gratia est, adhuc *γνησίως Lutherana* de novo hodie ventilaremus. Exemplum hujus, primo coetus nostri *Jubileo*, in Academia Wittebergenfi nobis præivit *Wolfgangus Franzius*, primæ omnino cavæ magnique inter nostros nominis Theologus. Nec ratione, cur sequi beati istius Viri exemplum cum animo constituimus, destituimur. Præterquam quod publicè ita, quem Doctrinarum in Alma nostra Eberardina typum servemus propugnemusque, profitemur, eadem opera, nihil prius nobis nihilque esse posterius, quam ut LUTHERI, hoc est CHRISTI ac APOSTOLORUM vestigia constanti ac sincero animo fideliter premamus, condocemus. Planum porro ac perspectum reddimus nostris, quæ reformationis, dudum tot votis à pontificiis imo ipsis pontificibus nonnullis, expectatæ, initia: quæ causæ* inprimis extiterint,

CUR

* *Pleraque enim subjectorum Thematum indulgentiarum papalium nundinationi sunt opposita. Indulgentiarum autem in Germania præconium Theandro nostro animos addidisse, ut diu desiderata & valde necessaria reformationis opus, Numine opitulante, inchoaret, tam est in aprico, ut, nisi qui hospitem prorsus ex superiorum seculorum monumentis animum retulit, latere queat neminem. Ipsi ex Pontificiorum castris cordatiores ire hoc inficias ausi non sunt. FRANCISCUS GUICCIARDINUS, prudens peritusque scriptor, cujus liber verax & ab adfectibus immunis est,*

dicente

cur Optumus noster LUTHERUS coinquina-
tam coelestis doctrinae faciem, atque collapsam
superioribus temporibus ecclesiasticam discipli-
nam, pristino restituendam nitore esse, arbitratus
fuerit. Magis denique è re nostrae ecclesiae,
THEOLOGOQUE VETERANO dignum esse iudicavi-
mus, id genus doctrinas publicè in medium profer-
re, quae rem tangunt ipsam, ac ex quibus, cur à Ro-
mano Pontifice facere debuerimus discessionem,
quidque nostram inter atque illius ecclesiam in-
ter sit? dispalescit, quam quae vitia hominum,
veritati re ipsa nihil derogare valentium, pun-
gunt atque sarcastico perfricant sale. Malumus
amore ac modestia dissidentium animorum pla-
cationem atque unionem adtentare, quam convi-
tiis aut sarcasmis ad iras & odia placari nescia conci-
tare. Et certè, eò summa votorum nostrorum at-
que caput redit, ut DEUS, qui VERITAS AMORQUE
iple & audit & est, caput & membra Romanensis
Ecclesiae ad unum omnia, omnipotenti vivi sui
verbi vi, ad sincerum verae Evangelicae veritatis
amplexum tandem perducatur ac nobiscum sancto
amoris vinculo reduniat, colligeturque; quo ita, ut
unum idemque corpus, ut unus grex, Unico o-
mnes capiti & pastori adhæreamus, pareamus.
Tu igitur, Israël nostri fidelissime Vigil, pro-
pugnaculum Zionis nostri Lutherani inexpugna-

A 3

bile,

*dicente LIPSIO ad I. Polit. cap. 9. JACOBUS AUGU-
STUS THUANUS, GEORGIUS CASSANDER, &
lijque aperte satis id sunt testati.*

bile, nostræque salutis A & Ω, prora & puppis, coetui Tuorum, usque dum extremis agetur gyris mundus, præsto esse ne dedigneris: serva Tibi semen, irrevocabiliū promissorum Tuorum memor: in veritate Tua duc nos, VERBUM Tuum est Veritas. Amen!



EX THEMATIBUS,

QUæ de purgatorio & vera pœnitentia, & caritatis officio, deque indulgentiis, indaganda solùm veritatis causa,

Uti JO. SLEIDANUS Comment. de Stat. Rel. & Reipubl. L. I. pag. 2. loquitur.

Anno C. MDXVII. ad D. XXXI. Octobr. ab hora meridiana duodecima, valvis templi arcis Wittebergensis adfixit, adeoque prima contra Papatum Romanum sollemnissime promulgavit, vid. Tom. I. Jenens. Lat. f. 2. seqq.

MART. LUTHERUS,

PRIMUM: Dominus & Magister noster Jesus Christus, dicendo: pœnitentiam agite, &c. omnem vitam fidelium pœnitentiam esse voluit.

(Uti scilicet, ex Ejusdem Magistri mandato, nemo ullum prætermittere diem debet sine precibus: dimitte, Pater, nobis debita nostra! Generatim de cetero in Thesisibus hisce observandum, tum à LUTHERO illas esse scriptas, quam

quum de Pontifice adhuc mitius sensit, melioraque speravit. Nec pervidere omnia simul primoque momento potuit, VIR in crepusculo quasi veritatis, ipsi illucescens, constitutus.

II. Quod verbum de poenitentia Sacramentali, i. e. confessionis & satisfactionis, quæ sacerdotum Ministerio celebratur, non potest intelligi.

(Ad Sacramentalem poenitentiam requirunt pontificii, contritionem, confessionem singulorum peccatorum & prohibe Satisfactionem. Nisi igitur singulis nos momentis peccata & confiteri & expiare posse dixeris omnia, de poenitentia isthac Verbum Christi haud commode intellexeris.)

III. Non tamen solam intendit interiorem. Immo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

(& bona opera, tamquam poenitentia vera & spiritus fructus)

IV. Papa non vult, nec potest ullas poenas remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo vel canonum imposuit.

(Quinque poenarum genera numerabantur: 1. gehenna, 2. purgatorii, 3. mortificationes carnis, 4. Calamitates à DEO hæc in vita impostæ, 5. Canonica, quas pontifex, ut persona publica, certis peccatis constituit in canonibus suis. Quoties jam cunque ullum ex hisce, præter ultimum, poenarum generibus remittere adgreditur pontifex, toties jus DEI à vobis Suvoy temerario involat ansu.)

V. Papa

V. Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando & adprobando remissam à DEO.

(*DEUS solus proprie remittit culpam peccati, Sacerdotes, & ita Papa, declarant saltem, adnunciant & confirmant hominibus, quod à DEO ipsis culpa peccati sit remissa. Sicut DEUS leprosos sanabat sanando, Sacerdos pronunciando.*)

VI. Indoctè & male faciunt Sacerdotes ii, qui morituris poenitentias Canonicas in purgatorium reservant.

(*Pudendum errant errorem, divini divina scita codicis ignorantes, quæ si audias, legem, adeoque & hujus effectus, ad hominem tantum, donec inter vivos agit, pertinere intelliges. vid. Rom. VII, 1. 2. 3. Fumos venderet, qui hoc pontificis Romani decretis peculiare adsereret, quod & vita functis dominantur.*)

VII. Papa per remissionem plenariam omnium poenarum, non simpliciter omnium intelligit, sed à se ipso tantummodo impositarum.

(*Saltem intelligere omnium non potest; nisi insigne læsæ Majestatis divine crimen admittere audeat. Ceterum, sæpenumero facere jam pontificem Lutherus pronunciat, quæ facere certè debebat: vel de primis tantum sinceris Apostolorum successoribus intelligendus est.*)

VIII. Falli, necesse est majorem partem populi per indifferentem illam & magnificam poenæ solutæ promissionem.

(*Proh! DEUM, quot mortalium myriadas, qui papalium indulgentiarum compotes de criminibus contra divina præcepta commissis non amplius cogitarunt, patientem absorpsisse ævernum existimas?*)

divina

IX. Hominem prædicant, qui statim ut ja-
ctus numus in cistam tinnierit, evolare dicunt
animam.

(Humana Somnia venditant pro veritatibus divinis.)

X. Cavendi sunt nimis, qui dicunt veni-
as illas papæ, donum esse illud DEI inæstumabi-
le, quo reconciliatur homo DEO.

*(Nisi enim Gratia DEI & Christi meritum intercesse-
rint, tantum abest, ut DEO quis reconciliari queat, ut
aeterno potius divortio ab Eo maneat sejunctus.)*

XI. Quilibet Christianus verè compunctus
habet remissionem plenariam à poena & culpa,
etiam sine litteris veniarum sibi debitam.

*(Litteræ quippe veniarum papalium in divino foro;
ubi homo causam dicere tenetur suam, non leguntur; ad
fidem oculi Domini respiciunt, atque pectus ob peccata sua
anxium & contritum curant.)*

XII. Contritionis veritas poenas quærit &
amat; Veniarum autem largitas relaxat, & odif-
se facit, saltem occasione.


*(Sentit scilicet verè contritus, quanto scelere sese ob-
stringat qui DEI sui præcepta violat, atque ideo se quibus-
vis pœnarum generibus dignum judicat.)*

XII. Docendi sunt Christiani, quod si Pa-
pa nosset exactiones venialium prædicatorum,
mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quàm æ-
dificari cute, carne & ossibus ovium suarum.

*(Partium sanè pontificis fuisset, citius consilium de
Basilica extruenda deponere, quàm permittere, ut sim-
plex popellus vel vestium venditione, vel aris alieni con-*

B

tra;



*tractione, vel dura servitute indulgentiarum pretium
comparat.)*

XIV. Hostes Christi & Papæ sunt ii, qui
propter venias prædicandas verbum DEI in ec-
clesiis penitus filere jubent.

*(Sed si ex præcepto Papa humana Divinis prætulerint,
papam una cum ipsis aequalia hostium Christi supplicia ma-
neant.)*

XV. Thesauri ecclesiæ, unde papa dat in-
dulgencias, neque satis nominati sunt, neque
cogniti apud populum Christi.

*(Qui satisfactiones Sanctorum nominant, nubes pro
Funone amplectuntur & venditant.)*

XVI. Verus Thesaurus ecclesiæ est Sacro-
sanctum Evangelium gloriæ & gratiæ DEI.

*(Qui solus, ritè ac dignis dispensatus, eternam beati-
tudinem confert.)*

XVII. Thesauri indulgentiarum retia sunt,
quibus nunc piscantur divitias Virorum.

*(Vero ecclesiæ thesauro, hoc est Christi evangelio,
HOMINES capi atque adduci Christo debebant; sed fal-
so suo thesauro nundinatores Papa jam DIVITIAS poti-
us hominum piscantur.)*

XIIX. Cur papa non evacuat purgatorium
propter sanctissimam caritatem, & summam ne-
cessita-

cessitatem, ut causam omnium justissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicæ, ut causam levissimam?

(Principes, ceterique status S. R. I. Anno Clj 1722. ipsi coram Pontificis Legato Francisco Cheregato, in Norimbergensibus Comitibus conquesti sunt: sub persona pietatis, quum BASILICAS Romanas construere polliciti sunt, Romanos pontifices omnem à simplicibus nimiumque credulis Germanis exsuxisse pecuniarum medullam.)

XIX. Cur papa, cujus opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium, struit unam tantummodo Basilicam S. Petri?

(Papa, ut Christi & Petri successor, magnifica & plusquam regia Basilica opus non habet; Quodsi, ut Italiae princeps, palatio superbire pretioso velit, ex propriis potius redditibus, quam inopis plebecula numulis, illud sibi paret.)

XX. Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per poenas, mortes infernosque sequi studeant. Ac sic magis per multas tribulationes intrare coelos, quam per securitatem pacis, confidant.

(Per multa enim rerum discrimina, variosque casus & labores, tenditur ad cælum. Nec fieri potest, ut quisquam, licet copiosissimam indulgentiarum papalium messem ere sibi suo redemerit, qui bacchanalia tantum & in diem vivit, intra cœlestia Hierosolymæ eterna pomœria admittatur.)

T A N T U M!

E P I M E T R A.

I. *Lutherano-Evangelici* LUTHERUM suum nequaquam pro fidei suæ auctore, vel ecclesiæ suæ capite, agnoscunt.

II. Divinitus tamen *Eum* ad Reformationem excitatum, vocatumque esse, statuunt.

III. Reformatio autem non fuit novæ doctrinæ productio, sed Evangelii tantum, ab ipso Numine in paradiso, à prophetis, Filio DEI, Apostolisque ac primorum à Christo seculorum patribus, testibus item Veritatis, per omnes mundi ætates prædicati, publica repetitio atque sollicita ad pristinam simplicitatem puritatemque reductio.

IV. Miramur pontificios non erubescere, tot tantisque convitiis lacerare divinæ illius reformationis instrumentum, B. LUTHERUM nostrum, atque à moribus hujus ad ipsius doctrinæ & ecclesiæ nostræ falsitatem concludere, non dubitare.

V. Habent certè ipsi domi suæ, quod in pontificibus suis atro notent carbone. Audiant vel ipsos ecclesiæ suæ advocatos Platinam, Onuphrium Panvinium, Baronium, Genebrardum, Sforzam Pallavicinum, Bellarminum, Natalem Alexandrum, aliosque annalium ecclesiasticorum vel Biographiarum pontificum conditores, & deprehendent ne ullum quidem nominari posse crimen, quo non aliquis pontificum sese contaminaverit.

VI. Viderit papa Romanus, qua ratione cum pacis Guesthaliæ, quæ tanta Christiani sanguinis vi constitit, sanctis conciliari possit publica ista EXECRATIO, qua singulis annis PROTESTANTES omnes, *tot Sacra Regum, Electorum & principum capita*, ex superiori Petrini templi parte, accensa candelâ, coram numerosissima hominum corona, anathemate percutere non veretur.

VII Sub impuro quoque ministerio, filios DEO filiasque generari posse, absolum haut est.

VIII. Propter versionem loci Rom. III, 28. pro Sacræ Scripturæ falsario haberi non potest

MartinVs LVtherVs theoLogiæ DoCtor.

R E C T O R UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

L. S.



Uod FELIX SIT FAUSTUMQUE! Ita falsi frustra que tandem sunt sacrorum nostrorum hostes, qui pridem e nomine divini Herois Lutheri, nummoque in primum seculare gaudium ante hos centum annos cuso, quippe in quo inscriptum erat, MARTINVS LVTHERVVS THEOLOGÆ D. non ominari tantum, sed & male precari nostræ ausi sunt Ecclesiæ. Pudeat inter illos præcipue Laurentium Bayerlingum, qui in Theatro Vitæ Humanæ e laudatis verbis, falsus vates, præfagiendi cavillandique occasionem captavit, futurumque deinceps judicavit, ut Lutherani nullam amplius Religionis suæ celebritatem secularem habituri sint, quod Lutherus non tam integro nomine DoCTOR, quam una potius litterula D. talis designatus fuerit. Quod si ominari aliquid ex ejusmodi litteris aut præfagire licet, hoc elogio, MARTINVS LVTHERVVS THEOLOGÆ DoCTOR, quod Viri docti non nuper demum in Dania, sed in Germania nostra pridem cum viro clarissimo, Christiano Junckero, observarunt, ipse hic annus auspiciatissimus supra millesimum septingentesimum decimus septimus utique plane perspicueque denotatur. Imo, post alteram hanc solennitatem secularem, non modo tertiam quoque ac quartam ad divinare sustinemus ex alio, quod hisce includimus litteris: MARTINVS LVTHERVVS SACROSANCTÆ THEOLOGÆ DoCTOR: sed &, divina benignitate atque cura, quæ in alterum usque seculum tam potenter nos nostramque Ecclesiam tutata fuit, freti, nostrumque facientes illud Friderici & Joannis Saxonix Electorum, nec non Philippi, Hassiæ Landravii, VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNVM, non dubitamus fore, quin Veritas coelestis, a Luthero tam strenue adserta, & in hunc usque diem inter nos conservata, deinceps quoque ad finem usque hujus universi persistat atque perduret. Neque enim moramur cum magnis illis Principibus scemina istud Matthæi Langii, Salisburgensis Archiepiscopi, qui cum litteras hæc V. D. M. I. Æ. in vestium quoque manicis satellitum ac pedissequorum in textas vidisset, Landgravio false admodum id exprobravit, ac dixit: VERBUM DOMINI MANET IM ÆRMEL; quanquam Landgravius satis animose reposuit: VERBUM DIABOLI MANET IN EPISCOPIS. Missis igitur ominibus ac lusibus ejusmodi ingeniosis spem nostram fiduciamque in potestate, cura, atque benignitate illius ponimus ac defigimus, cujus causa hic agitur, DEO scilicet, qui, pro immensa bonitate sua, Lutheri opera servavit restituitque Rempublicam, ac vindicavit Libertatem Christianam, proporro commendamus Rempublicam æque ac Ecclesiam, &, dum gratias ei simul toto pectore agimus in hac Lætitia publica, redit partim in memoriam inscriptio illius nummi, quem Lutherus ipse solus fieri fecit, qui quæ ejus faciem præfert, cum hac, in parte, averfa, epigraphe: OB. SERVATAM. ET. RESTITUTAM. REMPUBLICAM. VINDICATAMQUE. LIBERTATEM. CHRISTIANAM. ANNO. M. D. XX. F. F. partim vero illius, qui Philippi Melanctonis simul imaginem exhibet, cum simili fere lemmate: OB. SERVATAM. REMPUBLICAM. CHRISTIANAM. ANNO. M. D. XXV. F. F. DEUM etiam præterea enixe precamur, ut suam ipsius causam deinceps quoque tueri, atque efficere velit, ut, quotquot coelestem Veritatem agnoverunt, in agnita etiam ad ultimum halitum suum permaneant constantes, & modio remoto Lux Evangelii fulgeat æternum. Cum vero ad crastinum, proximumque Mercurii diem, Hora IX. consueta, hoc pietatis officio defungi jussi sint duo ex ordine nostro Professores Philosophiæ Ordinarii, DN. JO. EBERHARDUS ROESLERUS & DN. JO. CHRISTIANUS NEVIUS, Oratores facundissimi, nihil ultra hic addimus, quam ut omnium Ordinum Proceres, atque Cives humaniter compellemus, & ad communis lætitiæ ac pietatis societatem decenter invitemus: PP. *Dominica XXIII. post Trinitatis*, A. clo lo cc XVII. in vigilia omnium Sanctorum, hoc est, ipso Die festo Seculari, quem jussu SERENISSIMI CLEMENTISSIMIQUE PRINCIPIS SUI, Ecclesiæ Wirtembergicæ sacrum solennemque habent.

TUBINGÆ, Litteris Viduæ Georg-Henr. Reisl.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.